



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Glaber de Ioanne Antipapa non est intelligendus, sed de Ioanne XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

Viennensis, Amiro Archiepiscopus Tarentasensis, Helminus Episcopus Eduensis, Gauslenus Episcopus Matiscensis, Gaufridus Episcopus Cabilonensis, Hugo Comes Episcopus Antissiodorensis, Guigo Episcopus Valentinsis, Umbertus Episcopus Gratianopolitanus, Aribaldus Episcopus Verciensis, Anselmus Episcopus Augustensis, & Vrardus Episcopus Maurianensis. Dum igitur multa de ecclesiasticis causis & de communi populi utilitate ibidem tractarent, surgens supradictus Gauslenus Episcopus in medio proclamavit se conqueri de Burchardo predicto Viennensi Archiepiscopo, qui sine licentia & assensu suo, contra canonum statuta, ordinationes de monachis fecerat in episcopatu suo, scilicet in Cluniacensi canobio. Ad que idem Archiepiscopus respondens, Domnum Odilonem Abbatem, qui presens aderat, illarum ordinationum adduxit auctorem in defensorem. Itaque Domnus Odilone cum suis monachis surgens, ostendit privilegium quod habebant à Rom. Ecclesia, quod eis talem libertatem tribuebat, ut nulli, in cuius territorio debebant, nec alicui aliquatenus subjacerent Episcopo; sed quemcumque vellem, adirent, vel de qualibet regione adducerent Episcopum, qui faceret ordinationes vel consecrationes in eorum monasterio. Regentes ergo sancti Chalcedonensis & plurimorum authenticorum Conciliorum sententias, quibus precipitur qualiter per unamquamque regionem Abbates & monachi proprio debeant Episcopo subijci, & ne Episcopus in paracia alterius audeat ordinationes vel consecrationes absque licentia ipsius Episcopi facere, decreverunt Chartam non esse ratam, que canonicis non solum non concordaret sed etiam contraret sententijs. Adjudicaverunt quoque Domnum Abbatem non posse existere Archiepiscopo legitimum auctorem canonice defensionis. Unde predictus Archiepiscopus ratione convictus, petens veniam à Gausleno Episcopo, loco satisfactionis firmavit, & per quales ipse voluit fidejussores, ut unoquoque anno, quando ambo viverent, tempore Quadragesime sufficientiam olei de olivis ad conficiendum chrisma ipsi persolveret sine negligentia.

Vide Baluzi Notas ad Conc. Narbon. habitum an. 1090.

Laudatur sæpe locus Rodulphi Glabri monachi Cluniacensis, qui anno millesimo quinquagesimo florebat, ut doceatur ea tempestate persuasum Gallis Episcopis fuisse nihil à Romano Pontifice in Galliis contra canones tentari debere. Refert auctor ille Fulconem Andegavorum Comitem reducem ab Hierosolymitana peregrinatione, ut se voto exsolveret, monasterium condidisse in pago Turonico, in prospectu Castri Lucassensis, quod, juxta consilium uxoris suæ, non alicujus Martyris, sed Cherubin & Seraphin memoria devovit. Rogatus Hugo Turonensis Archiepiscopus ut basilicam dedicaret, constanter renuit, donec Ecclesia

suæ prædia quædam malè invasa Fulco restitisset. Quod durum visum Comiti: qui Romam cum se contulisset, muneribusque suis Ioannem Pontificem honestasset, rediit cum Petro Cardinali, qui ex delegata sibi facultate Basilicam dedicavit. Hæc sunt verba Glabri: *Quod utique audientes Galliarum quique Presules, presumptionem sacrilegam cognoverunt ex cæca cupiditate processisse, dum videlicet unus rapiens, alter raptum suscipiens, recens in Romana Ecclesia schisma creavissent. Vniuersi etiam pariter detestantes; quoniam nimium indecens videbatur ut is qui apostolicam regebat sedem, apostolicum primitus ac canonicum transgrediebatur tenorem; cum in supermultiplici sit antiquitus auctoritate roboratum ut non quispiam Episcoporum in alterius diocesi istud præsumat exercere, nisi Presule, cujus fuerit, compellente seu permittente. Mox: Licet namque Pontifex Romane Ecclesie ob dignitatem apostolica sedis ceteris in orbe constitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici maderaminis tenorem. Sicut enim uniusquisque orthodoxæ Ecclesie Pontifex ac sponsus propria sedis uniformiter speciem gerit Salvatoris, ita generaliter nulli convenit quippiam in alterius procaciter patrare Episcopi diocesi. Eandem rem paucioribus verbis & modestioribus explicuerat Hincmarus in epistola ad Nicolaum primum: Non aliud nisi quod regule sacre præcipiunt, & mihi petendum, & vobis concedendum est.*

II. Sed locus Glabri illustrandus est ex veteribus tabulis quarum mihi copiam fecit vir nobilitate & eruditione insignis, & in perferutandis antiquis monumentis exercitissimus, Michaël de Maroles Abbas Villæ-Lupæ. Si tabulæ illæ incidissent in manus illustrissimi Annalium conditoris, constitisset illæ quæ ac nobis narrationem istam ad eum Ioannem referri non debere qui per factionem Crescentij schismate excitato adversus Gregorium V. Romanam sedem invasit anno DCCCXCVI. & statim ab Otone Imperatore oppressus, meritis sacrilegij poenas luit. Hic agit de Ioanne XVIII. quem Sergius IV. excepit anno M I X. qui ambo Pontifices hujus monasterij exemptionem constituerunt. Ac primò quidem Ioannes oblatum à Fulcone monasterium *Belliloci*, sanctæ Trinitati & Cherubin atque Seraphin memoria devotum, sub tuitione Romanæ Ecclesie suscepit, interdixitque omnibus Episcopis ne quam ibi jurisdictionem exercerent. Privilegij illius insoliti rescriptum Hugonem Archiepiscopum Turonensem commovit. Necdum enim plena immunitas monasterijs indulta fuerat absque Episcoporum consensu, quemadmodum

Robolus Glab. lib. 2. c. 4.

Hincmarus lib. 1. c. 11.

Ill. Cod. Vat. 22. c. 116.

Cherubini & Seraphini lib. 1. c. 11.

colligi potest ex iis quæ dicta sunt lib. III. c. ultimo. Ille verò accedens Romam, submissis precibus à Sergio I V. Ioannis successoris contendit ut monasterij consecrationem sibi iuxta canones & Iustinianam legem permitteret. Sed repulsus fuit hac exceptione, quòd Fulconi liberum fuerit in fundo suo propriæ hereditate monasterium construendi monasterium ipsiusque consecrationem Romanæ Ecclesiæ conferre, quia *cujus est hereditas, ipsius & consecratio*. Quare Hugo accepta è manibus Gregorij Silvæ candidæ Episcopi virgulâ, jus omne quod sibi competeat, in Romanam Ecclesiam transtulit. Sergius verò Petrum Vipernensis Ecclesiæ Episcopum in Gallias direxit, monasterium illud vice sua consecraturum. Quæ dedicatio peracta est anno M X. ut testatur Chronicon Turonensis Ecclesiæ: *Abbatia Belliloci, & Ecclesia S. Florentij de Ambasia, à Fulcone Nerra fundantur anno M X.*

III. Opinio verò de Ioanne schismatico hausta est è locutione à Glabro usurpata, cum ait Ioannem & Fulconem recens schisma in Ecclesia Romana creavisse, unde vir eruditissimus colligebat hic agi de Pontifice schismatico. Veruntamen hoc loquendi genus eo seculo vulgatum erat, ut violatorum canonum incommoda indicarentur, quæ pacem Ecclesiæ turbare solent, & verum schisma in Ecclesiam invehere. Schisma autem etsi in eo consentiat cum crimine hæreseos, quòd utrumque unitatem communionemque Ecclesiæ catholicæ violet, istud fide læsâ, illud caritate corrupta, attamen origine magnopere differunt. Etenim hæresis lædit regulam fidei, ipsâque Christianæ professionis fundamenta evertit; schisma verò disciplinam ecclesiasticam labefactare nititur, & episcopalem auctoritatem concutere, ut docent Basilus & Hieronymus. Unde Manichæos, Valentinos, Marcionistas, & Pepuzenos inter hæreticos recenset Basilus, quia de ipsa in Deum fide controversiam movent, & à ceteris Christianis dissentiunt: *ὅτις ἂν ἀεὶ ἀπὸ τῆς τῆς εἰς Θεὸν πίστεως ἔσται ἡ ἀποστασία*. Novatianos autem sive Catharos schismaticis adscribit, quia de disciplina tantum cum Ecclesia contendebant, nempe an lapsi ad poenitentiam beneficium admittendi essent: *Σχίσμα ἢ, τὸ ἀεὶ τῆς μετανοίας διαφορὰς ἔχει ἀπὸ τῆς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας*. Observandum tamen est eam esse schismatis indolem, ut in hæresim vertatur. quod de Donatistis dixit alicubi Augustinus: apud quos contigit ut geminatione baptismi hæresis ex schismate nasceretur, quemadmodum loquitur Imperator in Codice Theodosiano. Et in universum Hiero-

nymus asseruit de omnibus schismaticis, eos proprium quoque dogma confingere solitos, ut secessionem suam necessariam fuisse probarent. Attamen vulgatum illud quod sæpissimè jactatur apud veteres, scilicet inveteratum schisma in hæresim desinere, abditam quandam disciplinam ecclesiasticam regulam præ se ferre videtur. Ea verò hoc unum significari puto, nempe ipsum schisma, etsi nulla hæreseos labe infectum, si pertinax fuerit & inveteratum, transire in naturam hæreseos, & schismaticos ejus generis, Ecclesiæ frequentibus admonitionibus rebelles hæreticos accenserit.

IV. Eam interpretationem hausit è canone sexto Concilij Oecumenici secundi, quo hæreticis interdicitur accusatio adversus Episcopum orthodoxum, si de crimine ecclesiastico agatur. Hæreticos autem definit eos esse qui hæreses ab Ecclesia damnas profitentur. Subjungit autem hæc verba: *Ad hæc autem & eos qui sanam quidem fidem confiteri præ se ferunt, abscissi sunt autem, & alibi quam cum canonicis nostris Episcopis conventus celebrant*. Pugnare videtur hic canon cum Basilij canone, qui schismaticos ab hæreticis discrevit. Quod ita componit Balsamo, ut in canone Constantinopolitano de schismaticis agi putet, qui specie quidem sunt orthodoxi, sed re vera hæretici, *καὶ ἀποστῆναι τὸν ὀρθόδοξον, καὶ ἀληθῆς ἔσθαι ἀποστασίας*. Sed si ea mens esset canonis, non opus erat hoc additamento, nec schismaticorum mentio injicienda. Primum enim caput, quod hæreticos arceret, sufficiebat ad schismaticos quoque ab accusatione removendos, si necessaria sit probatio, eos præter schismatis scelus, hæresi quoque laborare. Verior est hæc conciliatio, Synodum secundam intelligendam de schismaticis pertinacibus & ab Ecclesia condemnatis, Basilium de iis schismaticis de quorum reditu nondum desperavit Ecclesia. Quod eleganter colligitur ex illius verbis, cum schismaticos eos esse definit qui dissentiunt ob quaestiones quæ curationem recipere possunt, *διὰ ἑρωτήματα ἰδοίμεν*. Quod attinet ad simulationem fidei, vel referri potest ad schismaticos, apud quos caritate violata, fides quoque non potest dici ex omnibus partibus integra, vel locus synodi emendandus juxta interpretationem quam sequitur Nicolaus I. ita ut hæc clausula canonis in duo membra divisa sit: *Præter hos autem, & eos qui fidem sanam simulant confiteri. Schismaticos etiam, & eos qui seorsum à communicantibus nobis Episcopis collectas faciunt*. Iuxta hanc regulam, post condemnationem Synodi Nicænæ, Concilium secundum, quemadmodum &

Hieron in Comm. ad c. 3. Ep. ad Titum. *Iuxta Hieron. & schisma hoc incessit arbitrariorum, quod hæresis præteritum dicitur habere, schisma propter episcopalem auctoritatem ab Ecclesia pariter separatur. Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest diversimodum. Ceterum sola schisma non sufficit aliquam confingere hæresim, ut colligitur ab Ecclesia recessisse videtur.* August. l. 2. contra Crescon. c. 7. docet inveteratum schisma esse ipsammet hæresim. Can. 6. Concilij CP. *ἄποστασίας δὲ λέγομεν τὴν πᾶσαν τὴν ἐκκλησίαν ἀποστῆναι ἀπὸ τῆς ἀληθείας, καὶ τὴν ἀποστασίαν τὴν ἀληθῆς ἀποστασίας ἀποστῆναι ἀπὸ τῆς ἀληθείας, καὶ τὴν ἀποστασίαν τὴν ἀληθῆς ἀποστασίας ἀποστῆναι ἀπὸ τῆς ἀληθείας.*

Balsamo add. c. 6.

Exemplo Novatianorum vitiorum, habita ratione subij.

Explicatio canonis CP.

Ad illa etiam Tot. Gall. Christi. pag. 716. & To 4. pag. 149. & seqq.

August. l. 10. contra Faust. c. 3. *schisma, in illis, est eadem opinio, namque eodem sensu volunt quod centi, solo consensu delectantur dissidio.*

Basilio ep. ad Augustin. c. 1. *qui ab hereticis separantur, non sunt schismatici, sed hæretici, quia de ipsa in Deum fide controversiam movent, & à ceteris Christianis dissentiunt.*

L. c. Th. de sch. h. p. 107.